





NAVALE PRÆLIUM

<sup>2<sup>VO</sup></sup>  
D. URSULA

INCLYTÆ NATIONIS RHENANÆ  
TUTELARIS,

CUM SOCIO VIRGINUM AGMINE PRO FIDE  
CHRISTI, AC VIRGINITATE DECERTAVIT,  
*EMINENTISSIMO AC EXCELLENTISSIMO*

*DOMINO, DOMINO*

CAROLO CARAFÆ

EX PRINCIPIBUS ROCCELÆ,  
S. R. ECCLESIAE CARDINALI,

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Averfano,  
Sanctissimi in Christo D. N. D. ALEXANDRI Divinâ providentiâ Papæ VII.  
ac Sedis Apostolicæ apud Sac. Cæs. Maj: LEOPOLDVM I. in Imperatorem  
electum, nec non per Germaniam, universumq; Romani Imperij  
districtum cum facultate Legati de Latere

N U N T I O.

*FUSSU ET AUTHORITY*

R. P. MARTINI KLINGENBERGER, è Soc: JESU,  
SS. Theol: Doctoris, Procuratoris Inclytæ Nationis Rhenanæ.

In Æde S. STEPHANI Proto-Martyris, Oratoriâ dictione  
REPRÆSENTATUM

Per R. D. JOANNEM SCHGYER, Rhetum Rusenensem,  
Phil: Auditorem; ex Cæs: Convict: Collegio SS. D. N. Alumnum.

ANNO M. DC. LXIV. XXI. Mensis Octobris.

---

*Vienne Austria, In Officina Typographica Matthæi Cosmerodij, Sac. Cæs. Maj. Typographi.*

A-393097



DS-2026-1245



EMINENTISSIME  
CARDINALIS,  
A C  
PRINCEPS EXCELLENTISSIME,  
DOMINE, AC PATRONE  
COLENDISSIME.



*Tiam nunc verecundo silentio  
verba comprimerem, animumq; à di-  
cendi proposito revocarem, CARDI-  
NALIS Eminentissime, luminisq;  
magnitudo à serenissimâ Tua pur-  
pura demississimi affectûs mei oculos  
averteteret, nisi innumerâ propemodum purpuratarum,  
Virginum, Martyrumq; phalange animatus, audacter  
tentare aliquid impelleret me animus, ac sperare juberet,  
nullibi Martyrum purpuram gratiùs acceptum iri, quàm  
ubi caelestiales hi colores in purpurâ mutuo sumunt clari-  
tudinis incrementum. Nolim verò vel numero, vel  
dignitate comitantem me Divæ URSULÆ phalan-  
gem, in contentionem adductam, suspiceris, tanta cum*

veneranda memoria, retroactis temporibus Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, sedis Apostolicae Legatorum, Cardinalium denique unius arboris CARAFÆÆ dignitate, ac purpuris. Palmas enim, ac pacis ramos prætendentes Tibi conspicias omnes, quem tot jam bellorum felicissimum sedatorem, & gravissimorum munerum invictum semper Atlantem, Ferraria, Bononia, Venetia, Italia denique, & Germania, sed & Europa universa extollit. Id solum purpuratis his à Virginibus mihi accedere sentio, ut dictionis humilitatem, obscuritatemque, luminis sui adjuvent claritate, scholasticisque è pulveribus ad Te primum hic literarum, mearum, qualis qualis ille tandem sit, eductus labor, aditum habeat benigniorem. Quem si debitum EMINENTIA TUA dici sibi patietur, finem me mei propositi felicissime sentiam attigisse, quemadmodum & votorum suorum se videt participem Christianus orbis, dum Te jam purpuratâ in dignitate eo usque conspicit evedum, ut & vestice mysteriosa OLORUM SIDERA contingas, & nō alius supersit eminentissimis meritis Tuis gradus, quàm ille, ad quem Te vota mundi jam dudum evexerunt. cum quibus idem & roveo, & spero

EMINENTIÆ AC CELSITUDINIS TUÆ

Devotissimus Cliens

Joannes Schgyer, SS. D. N. in  
Cæs. Convict. Coll. Alum.



## ORATIO.



I, quod mortalium animis illibata mentis integritas infundit, pretium, acribus aliquando oculis ad plenum intueri liceret, nunquam sanctorum illa sensisset invidiam, quorum jam sese videt armis exercitam, impetitam audaciâ, proscissam calumnijs, dilaniatam flagellis, opprobrijs saturatam. Magnifice Domine Rector, Inclytæ Nationis Rhenanæ Procurator Clarissime, Senatus, Populusque Academice. Nunc verò, quia vel arcano Numinis supremi consilio, vel spontaneâ (qui rerum pretiosarum mos est) fugâ Virginei candoris dignitas nostris se negat oculis, non tam sui nos, agnatiq; splendoris habet æstimatores, quàm omni prope modum temporis, locorumq; conditione iniquissimos persecutores. Nolo, hic alienæ cædis memoriâ sæpius decantata repetere, ne à propositæ dictionis instituto, vestroque, Rhenane sanguis, desiderio longiùs videar, discessisse. Novi enim verò, cujus honoribus præsentis

diei solemnia consecrâris. novi ardentissimæ pietatis  
tuæ vota, & tenerrimam illam, quâ invictissimæ pudor-  
is sui propugnatrici, tuæq; gentis Tutelari URSULÆ  
afficeris, animi propensionem. Quare, ut debitâ hodie  
veneratione illius cultum exequamur, agite AA. eò a-  
nimos, oculosque convertite, unde prima desumpsit,  
Amazon nostra certaminis sui argumenta. Ad Angliæ  
fines, & Germanici ponti littora excurramus, ut, dum  
procul, & de ultimis terræ finibus adventantem cerni-  
mus URSULAM, mulierem illam fortem, Salomonis  
decantatam elogio, ejusq; pretium agnoscamus. Invo-  
lemus in medios telorum imbres, quos caliginosa præ-  
dantium Hunnorum tempestas in Virginea demisit ca-  
pita, ut iisdem hodie spiculis singulorum animi lædan-  
tur ad vitam, quibus bellatrices Heroinæ visæ sunt  
vulnerari ad mortem. Spectemus onerariam Virginum  
bajulam suavibus primùm blanditiarum Etesijs leniter  
commotam, tum acerbiorè minarum turbine concus-  
sam, tum denique violento armorum Boreâ, & immiti  
volantium sagittarum furore, fremituque everfam, ut  
ab illius naufragio ad ultimum usque vitæ spiritum pro  
virtute bellandum esse addiscamus. Neque alienum  
erit à temporum nostrorum conditione bella miscere, &  
prælia, quando vicinos Pannoniæ limites effusâ Otto-  
manæ gentis illuvie cernimus hostiliter inundare. Qua-  
re dum suos alternante fortunâ Mars in terris agit  
triumphos, nos revocato à campis ad æquora, à castel-  
lis

lis ad navigia animo, spectemus socio stipatani agmine  
URSVLAM pro fide, pro pudore felicissimè navali præ-  
lio decertantem.

Quâ quidem inluçtâ ea primùm animos subire  
potest cogitatio, quo tandem armorum genere bellico-  
sa hæc Virginum legio se contra irruentium prædonum  
insidias, dolosque defenderit, quâ arte hostiles declina-  
verit impetus, quâ vi, quo animi robore militares fu-  
derit copias, & immortalem sibi nominis gloriam de  
profligato exercitu comparârit. Tum verò, quis ille  
adversantis militiæ ductor, quis oris, vultûsque habi-  
tus; quæ dissidentium animorum ratio, quæ pugnae,  
odijque fomenta, initia, & successus? Et tandem, quo  
suorum detrimento, quâ famæ, bonorumque jacturâ  
geminæ bellatorum acies fatali discefferint ex arenâ.  
Sed enim, ut oppositæ partis agnoscatis potentiam,  
adest ad oceani littora conflatum è pessimis quibusque  
agmen, latrocinij assuetum, effæminatum libidine, in  
omnem turpitudinem projectum: nullum illi unquam  
est vel de Numine placando studium, vel de habendo  
superis cultu cogitatio; sed proclivis in scelera animus,  
inclinatus ad voluptatem affectus. Dux illi præest  
staturâ, & corporis mole puer, juratissimus honestatis,  
& innocentia hostis; annis Nestore, & Sibyllâ superior,  
mentitâ tamen adolescentis imagine senium, ætatemque  
occultans; dexteram arcu, tergus verò onustâ spiculis  
pharetrâ ad animorum vulnera cruentè armatus; ge-  
minas

minas deinde suspendit ab humeris alas, ut, cum maxime amantium cordibus contineri creditur, fugâ dilabatur; nullo præterea juvenile corpus amictu tegitur, ut omnis se verecundiæ, honestatisq; prædonem vel solâ incedendi ratione contestetur. oculos illi demissa per frontem tegit fascia, ut illo oculorum velamine non obscure doceat, quas mortalium animis tenebras hic pufio infundat. Hunc tametsi vilis, & abjecta corporis parvitas retinere posset ab inferendo mortalibus prælio, acuit tamen ad bella animum tot victoriarum, tot triumphorum jucunda recordatio, quibus invictissimos alioquin Duces, & humanæ fortitudinis portenta infami fædissime telo confixit. Quare nullis ille terretur viribus, nullius pavet occursum, nullius robore exanimatur: in omnes sua spicula torquet, solâ confusus audaciâ, solâ fretus præliandi felicitate. Iamq; sibi epinicia ante victoriam canere, jam insultare captivis, commilitones extollere, suorumque arma deprædicare auditus est, quando non viris, non gigantibus, sed armis inassueto, tenerrimoque Virginum agmini se colluctaturum advertit. Nostra est, inquit, victoria, triumphus noster! neq; enim in hanc usque diem irrita unquam tela in hunc sexum emisimus, felicissimo semper eventu beati: Accedit aptissimum nostris, quas unius etiam teli jactu Virgineis mentibus flammam injiciam, fomentum, derivatus à Majorum splendore sanguis, & ad pulchritudinis dictamen ducta

corporis lineamenta, quorum utroque & ad sui nominis dignitatem eximiè, & ad nostri certaminis fortunatos eventus præclare opposita nobis legio decoratur. His ubi scelerati agminis ductor victoriæ præluserat, Cyprijs fabricatam in flammis cuspidem arripit, nervum, arcumque tendit, & licet non tam Poëtarum, pictorumque licentiâ, quam simulatione nequitiae cœcus esse credatur, voto tamen, & animo, unam sibi primi jaculi metam, designat castissimum D. URSULÆ pectus. Excutitur suo ab arcu telum, pervolat aëra, & erumpente ignis fœdissimi flammâ, quam inducto desuper ferri involuero frustra tegere laborabat, liquidissimi aëris tractus taminatur. Fertur tamen suis adhuc calens ignibus telum, in navim penetrat, & velut regale solùm placeret in vulnera pectus, intactas pertransit Virgines, constantique volatu in unius URSULÆ præcordia rimatur accessum. Hic enim verò ad insolitæ flammæ illapsum terreri, contristari, pavere, inhonesti amoris nescia Virgo. Sed ne suo magis gloriari posset, in Achille antiquitas, quam in URSULA virginalis integritas, illius fabulam in veritatis lucem transtulit, quando eâ animi firmitate venienti se telo opposuit, ut nec illius vulnerata sit acie, nec venenato, quo tumebat, anhelitu vitiata. Revocato igitur in linguam animo, quâ potuit vocis contentione, oblatum à Connano Duce hymenæum (hoc enim primi jaculi nomi-

ne intellexi) regiumque torum, & promissa à Barbaro obsequia constantissimè rejecit, contestata, altioris se, & non humanæ dignitatis sponso arctissimo castimoniam vinculo illigatam.

Habes nunc animorum tyranne puer, habes unde fortitudinis tuæ desumas elogia, quando ab imbelli Virgine tot alioquin heroum domitor, tot triumphis famosus jugum subire cogaris, suæ deplorans conditionis fortunam: sentis etiamnum Virgineis te conteri pedibus, quibus regale olim pulvinar te substraturum pollicebaris. Eo nunc exclusum te lamentaris ab animo, quem unum tui amoris centrum fixisti. Atque ideo fortasse non terrestri tecum, sed navali voluit certare prælio Amazon *URSULA*, ut è primâ furoris tui statione excussus doceres, dignum te omninò esse, qui primo, quod ajunt, balneo, & unà cum scelestissimâ genitrice tuâ, nativo mergaris in æquore, quam è tumente maris spumâ progenitam fabulosa antiquitas commentatur. Accenderit ergò artificii olim Archimedes ingenio, quos à solari globo in vitra collegerat, radijs, ad Syracusanæ urbis littora Marcelli navigium, nunquam tuis Divæ *URSULÆ* classis ardebit ab ignibus, quos non de cælo, solivè ardoribus haustos, sed ab impurâ Cypri officinâ depromptos esse, novimus universi. Meliori classis illa sole uritur, ad cujus præsentiam flammatisimas etiam faces tuas necesse est hebetari.

Vide

Vide proinde scelerate mentium latro, quàm decepto-  
riâ opinione ducaris, quàm falso nitaris aphorismo;  
quando Philosophorum commenta secutus credidisti  
Divæ URSULÆ ratem citiùs sorbendam à fluctibus,  
quos oblata regiæ dignitatis majestas, promissa popu-  
lorum obsequia, auri, argentiq̃ue, & gemmarum pre-  
tiosa tempestas dulcorare videbantur. Erras, quicun-  
q̃ue hanc Virginum cymbam ad navium reliquarum  
conditionem reducis, & dulcibus illam blanditiarum  
fluctibus hauriendam credis faciliùs, quàm falsis ad-  
versitatum procellis. Utrâq̃ue sibi in fortunâ similis  
est, & cum blandientis lenocinia sibilant, & cum acer-  
ba mugiunt tonitrua fulminantis. Novit enim verò  
sanctioribus fidei instituta legibus Virgo, fumos esse  
honorum, dignitatumq̃ue nomina, quæ modico adver-  
santis fortunæ flatu dissipentur. Novit Regum cyda-  
res, Cæsarumq̃ue coronas non tam majestatis esse insi-  
gnia, quàm vinculatæ libertatis argumenta. Novit,  
illa auri, argentiq̃ue thesauros montium inclusos vi-  
sceribus, ut ab hominum animis exulare digni esse cre-  
dantur. Novit deniq̃ue persequentium tela cum spi-  
nis lædere, cruentare cum tribulis, rotare cum turbine,  
cum tempestatibus tonare: sed novit etiam post exi-  
gui temporis lapsum, in rosas animari tribulos, spinas  
efflorere in lilia, tranquillari ventorum iras, & densa-  
tas in caliginem nubes suo è cælis discessu optatam

mun-do red-dere se-reni-tatem. Ex quo de-mum illud au-gu-rari con-ceditur, æ-que for-tu-nato præ-li-tu-ras e-ven-tu Vir-gi-nes, si hos-ti-lis ac-ies te-la cor-ri-piat, & ar-den-tes fer-ro, en-se-que dex-te-ras in cas-tis-si-ma pec-to-ra mi-ni-tetur in-fi-gere, quo pri-mos fe-ro-cien-ti-um con-a-tus elu-serunt. Et verò a-dest jam ex-as-pe-rata Hun-nor-um ma-nus, ore, vultu-que cæ-dem, & fu-ne-ra in-ten-tans: pu-det de-lu-sos à Vir-gi-ne, pu-det postu-la-ta tha-lami ju-ra, & pacta con-nu-bij non ad-mis-sa. Quare sti-mu-lante fu-rorem li-bi-di-ne, na-vi-bus & ip-si con-scen-sis, fre-quen-ti in vir-gi-ne-um ag-men mi-lite in-volant, con-sen-sum, vel ani-mam ex-tru-furi. Sub-si-stit ad mi-nas, & ver-be-ra, ad cla-mo-res, & jurgia nul-lo pa-vo-ris, vel con-sen-sus in-dicio, im-per-ter-ri-ta, An-geli-cæ dux UR-SU-LA tur-mæ. Et quia præ-ceden-ti-um Ducum ex-empli a-ma-bili ad se-que-lam vi-o-len-ti-â sub-di-to-rum vo-lun-tates in-cli-nant, quâ pro-pe-ran-tem vi-dent UR-SU-LAM, hæc unâ om-nes se-mi-tâ de-cur-runt: tunc un-a-ni-mi om-nes ore e-ju-rare tha-lamos, de-te-stari con-nu-bia, hy-men-æ-um ex-plo-dere, vo-lup-tatem ex-ec-ra-ri, pri-ùs vi-tam, quàm vo-ta mu-ta-tur-æ. Hic de-mum ve-lut ag-ge-re ru-pto ex-ul-ce-ra-tus bar-baro-rum fu-ror in-un-dare na-vi-gi-um, te-lis con-fi-gere, trun-care gla-di-ij, di-lan-ia re, oc-ci-dere, quas nec ver-bo-rum blan-di-ti-ij, nec mi-na-rum, aut ver-be-rum as-pe-ri-tate flexe-runt, cas-tis-si-mi a-g-mi-nis bel-la-tri-ces.

Et

Et hæc est AA. naumachia nostræ series, hic exitus, & coronis. Præcipitantur à perfidis non pauca virginum sacrarum corpora, undisque sorbentur, sed victrices animæ trans solis, lunæque vias sublimate ad dominantis Agni conspectum evolarunt, ut & ista Castitatis oneraria Argonavis dici debeat, quæ ad immortale beatitudinis vellus heroinas deduxit. Sed neque hic quidem suo fræna furori barbarorum immanitas posuit, in ipsum cruentas navigium dexteras armant, compages disjciunt, effringunt antennas, convellunt latera, juncturas dissociant; & ne minimum, etiam Virginitatis triumphantis restaret vestigium, disjectas per Oceanum classes rapi sinunt à fluctibus, ad peregrina olim littora feliciter appulsuras. Poterat omnino navigium disjci, quod incorrupta virginum corpora per frementis Neptuni procellas detulit, at frangi nequaquam potuit invictus Amazonum animus, sedes, & navigium castitatis, cujus anchoram firmabat integritas, carbasa expandit pudor, ad proram consistebat verecundia, puppim tenebat modestia, remos impellebat puritas, navem omnem solertissima sensuum custodia dirigebat. Altior scilicet est humanis casibus virtus, & ab ipso ducit opes, animumque ferro. Quiescite proinde felices animæ, & parti triumpho gloriam æternos inter Cœlitum plausus exigit. Et quia stratus est vestrâ fortitudine barbarus, date, ut

& nostrâ, qui vestris studemus honoribus, imò omnium, qui Christiano nomine gloriamur, constantiâ, & virtute erumpentes ex Asia belluæ pavore trepident, confundantur terroribus, regnis omnibus, orbe toto, & vitâ exturbentur. Quod sanè futurum confidimus, si qui olim pro Ubiorum Colonia virginum decertavit exercitus, pro urbis etiam nostræ, pro Imperij salute, pro Augustissimi Cæsaris milite, è nubibus arcu, sagittisq̃ue prælietur.

D I X I.









